

Petrus de Vinea

*Ep. V 121 (Guidonis Girardi  
de Aretio, fidelis nostri...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 121 (Guidonis Girardi  
de Aretio, fidelis nostri...)*

1220-1250

Informatio iustitiae ad restitutionem rei ablatae  
prouidendam.

1. Guidonis Girardi de Aretio, fidelis nostri, culminis nostro porrecta petitio continebat, quod, cum rector ecclesiae Sancti Adriani de ciuitate ipsa teneretur sibi in quadam pecuniae quantitate, et mota questione per eumdem G., ut dicit, de debito supradicto coram Potestate Aretii, tunc temporis presidente, contra rectorem eumdem, eiusdem rectoris contumacia exigente, in possessionem ecclesiae et rectoriae predictarum inductus extiteris, mediante iustitia per Potestatem prefatum, nunc quidam L., qui ipsius ecclesiae rectorem se dicit, possessionem ipsam ab eodem G. per uiolentiam abstulit et eam detinet occupatam, in ipsius G. preiudicium et grauamen. 2. Eodem Guidone tamen in nostra presentia proponente, quod, licet contra predictum L. de ablata sibi possessione coram Potestate Aretii querimoniam posuisset, idem L. allegans priuilegium clericale sub ipsius Potestatis examine, prefato G. recusauit de iustitia respondere. 3. Cum igitur idem conquerens sibi per nos super hoc secundum iustitiam supplicauit prouideri, nos ipsius supplicationibus benignius inclinati, fidelitatem uestram requirendam duximus et hortandam districte mandantes, quatenus coram uobis partibus, et qui de iure fuerint euocandi, legitime conuocatis, causam audiat, eandem terminaturi celeriter, prout postulat ordo iuris, ita quod nulla pro defectu iustitiae alteri partium iusta sit de uobis materia conquerendi.